



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

117. In quadam civitate huius Regni plures non ex consilio, sed ex rixa
subdito contingente percusserunt aliquem, sed unus tantum percussit
vulnere lethali, ex quo mortuus est, & cognitus fuit iste ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

De Irregularitate. Resol. CXVI. &c. 265

font causa homicidii; ergo, &c. Adde quod rati-
bitio mandato æquiparatur quoad culpam, non au-
tem quoad pœnam, si Superior aliter non disponit,
sicut disposuit respectu percussoris Clericorum in
cap. cum quis, de senent. excomm.

RESOL. CXVI.

An si intims amicu bono animo associavit aliquem, ne
in rixa periclitetur, incurrat irregularitatem, si ami-
cu inimicum occidat?
Idem est dicendum de patre, filio, &c. Ex p. 4. tract. 2.
Resol. 17.

Negativè responderi Avila *part. 7. disp. 6. sect. 3.*
dub. 3. concl. 1. & Henriquez *lib. 14. cap. 16.*
num. 1. in fine, & à fortiori idem dicendum est de pa-
tre, vel filio, &c. Vnde Navarr. *consil. 32. de homicid.*
docuit non esse irregularem cum, qui bono animo
tenebat ensen evaginatum in manu sine alia læsione,
quamvis alius percussus à fratre in rixa postea mor-
tuus sit; & ratio est, quia dabit operam rei licitæ.
Sed hanc opinionem limitat novissimè Præpositus
in 3. *part. 9. §. 5. de irregul. dub. 8. num. 65.* si exterius ita
amicum rixantem associando non videatur illum
animare ad occidendum.

RESOL. CXVII.

In quadam Civitate hujus Regni plures non ex consilio,
sed ex rixa, subito contingente percusserunt aliquem,
sed unus tantum percussit vulnere lethali, ex quo mor-
tuus est, & cognitus fuit iste percussor, quæserunt pos-
tea à multis Theologis, an omnes incurrerint irregu-
laritatem, vel solus ille, qui mortale vulnus inflixit?
Ex *part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 18.*

Multi ex Societ. Iesv, & ex Dominicana
familia affirmative responderunt, ut ipse
consulens mihi affirmabat, quorum sententiam pro-
babiliissimam esse asserui, nam illam docet Stephanus
de Avila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 3.* &
Suarez in 3. *p. tom. 5. de cens. disp. 45. sect. 3. n. 11.* ubi
ait: [Etiam si vulnus inflicto, unum tantum sit,
illudque lethale: omnes impugnantes occisum sunt
irregulares, non solum quando incerta est persona
percussoris, quod est indubitatum; sed etiam si certa
sit, quia alii manent irregulares, propter incertitu-
dinem.] Sic ille.

2. Sed ego, dictos consulentes ab incurso irregu-
laritatis immunes feci, & multos Authores adduxi:
præcipue Gregor. Sayrum *de censur. lib. 7. cap. 4. n. 13.*
ubi ait: [Quando unus è pluribus in rixa subito con-
tingenti, nec præmissis consilio vulneratus est, & in
oculo reperitur unicum lethale vulnus, si constat
quis id intulerit, tenebitur de homicidio, cæteri de
percussione, l. Item Mela, §. sed & si servum, ff. ad leg.
Aquil. & l. si rixa, ff. de sicariis. Vnde ille solus irre-
gularis erit, cæteri verò, ut ab homicidio, ita etiam
ab irregularitate excusantur. DD. communiter in cap.
significasti 2. de homicidio.] Hæc Sayrus, cujus sen-
tentiam docent etiam Covar. in *Clem. si furiosus p. 2.*
§. 2. num. 3. vers. secundus casus de homicidio, & Bonac.
de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. num. 29. & Villadiego
cap. 6. num. 47. apud Avilam, ubi supra. Qui quidem
Avila nostram sententiam probabilem vocat, Ex his
omnibus, ut dixi ad casum, de quo loquimur, nega-
tivè respondi.

Tom. V.

RESOL. CXVIII.

An si inter multos dubium sit, quis ex illis occiderit, om-
nes remaneant irregulares?

Et quid, si sciatur occisor?

Et notatur, quod si quis alios comitetur, & nihil omnino
per se faciat, nec causa sit, cur homicidium hic &
nunc fiat, id est cum his circumstantiis celerius, acrius,
animosius, audacius, &c. non est irregularis. Ex p. 9.
tr. 7. & Misc. 2. Ref. 20.

Casus est etiam practicabilis: & quoad pri-
mum, communiter affirmative respondent.
Sed negativam sententiam probabilem esse putat Les-
sius in 3. *p. D. Thomæ, cap. 3. de irregularib. dub. 1. n. 25.*
ubi sic ait: [Quando non constat, à quo quis fuit
occisus, vel à quo vulnus lethale accepit, omnes, de
quibus dubitatur, sunt irregulares. Est communior
sententia. Vide Covarruviam 2. *p. §. 2. n. 7. in Clemen-*
tina. Si furiosus. Ratio est: quia in dubio homicidii
consensus est quisque irregularis, cap. *Significasti 2.*
de homicidio. Nota tamen, quodam recentiores non
improbabiliter dicere, hoc solum habere locum in
foro externo, idque maxime ante diligentem in-
quisitionem: in foro tamen conscientie, si post factam
diligentem inquisitionem adhuc manet omnino du-
bium, quis sit author, neminem censendum irregu-
larem: quia satis est crimen aliquod imputum ce-
linqui, quam innocentes puniri.] Ita Lessius.

2. Quoad secundam difficultatem, si certo consti-
terit; quis vulnus lethale inflixerit, omnes alios vul-
nus lethale non inferentes affirmat Covarruvias, aliis
relatis; in *Clem. Si furiosus 3. p. §. 2. n. 3. vers. Secun-*
dus casus, non fore irregulares. Ducitur: quia infli-
gens vulnus lethale tenetur de homicidio, & non
alius, reliqui enim tenentur de percussione, ex textu
in leg. *item Mela, §. Sed & si servum, ff. ad legem Aqui-*
liam, & in leg. *Si rixa ff. de sicariis.* Ergo, cum liberi
sint ab homicidio, liberi erunt ab irregularitate.
Secundò probari potest ex cap. *Significasti el. 2. de*
homicidio, ubi Parochus excusatur ab homicidio, &
irregularitate, si non inflixerit vulnus lethale latro-
ni, qui aliis vulneribus acceptis subito interit. Et
hanc sententiam probabilem esse fatetur Castros Pa-
laus *tom. 6. disp. 6. punct. 15. §. 6. num. 4.* licet ipse
merito affirmativæ sententiæ adhæreat: quia illos
negari non potest sua præsentia auxilium, & favo-
rem occisori tribuisse, & occisum impedisse ne se
defenderet: ac proinde omnes judicandi sunt secun-
dum Canones rei homicidii, & irregularitati sub-
jecti, ex textu in cap. *Si quatuor homines 23. q. 8.*
& ita etiam docet Avila *de cens. part. 7. disp. 6. sect. 3.*
dub. 3. concl. 4. Coninch *de Sacram. disp. 18. dub. 8. n. 70.*
& alii.

3. Notat enim Lessius, *ubi supra, n. 13.* probabile
esse, si quis alios comitetur, & nihil omnino per se lege doct.
faciat, nec causa sit, cur homicidium hic, & nunc
fiat; id est, cum his circumstantiis, celerius, acrius,
animosius, audacius, &c. non esse irregularem. Et ra-
tio est: quia non censetur contulisse quidquam, aut
ullum præbuisse influxum in illud facinus; unde
etiam non tenetur ad restitutionem. Ita ille.

RESOL. CXIX.

Quando non incurritur irregularitas, ex homicidio du-
bio? Ex p. 11. tr. 6. & Misc. 6. Ref. 24.

Z

§. 1. Casus